



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LIX. Cur Christus Dominus in medio terræ, & in monte Calvario salutem nostram voluerit operari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LIX.

Cur Christus Dominus in medio terræ & in monte Calvario salutem nostram voluerit operari?

Deus autem Rex noster ante secula: operatus est salutem in medio terra. Psal. 73. 12.

I.

Non absque singulari causa Christus Dominus nascens, vivens, ac moriens medium elegit. In media nocte natus est, dum quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret. In medio duorum animalium in præsepio reclinatus; Duodennis inventus in templo in medio Doctorum; Domi medius inter patrem nutritium & Virginem Matrem; Vir in medio Discipulorum: *Ego in medio vestrum, tanquam qui ministrat.* Medius inter Moysen & Eliam in monte Thaboræ; Sed & in medio duorum latronum crucifixus est: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & alter à sinistris, ubi salutem nostram in medio terræ operatus est; Supra quod S. Germanus Constantinop. Omnes consentur in Jerusalem ipsissimum medium terra, & S. Athanasius: S. Athanas. Medium terra est hic Golgothas. Non meus est sermo, Propheta dicit Psalmo 73. Operatus est nostram salutem in medio terra. De qua veritate plura im- præsentiarum.*

2. Operatus est DEUS & Homo Christus salutem nostram in medio terræ, ut Crux esset instar ligni vitæ in medio paradisi plantati, & instar fontis illius mirabilis, qui promanabat de medio paradisi, ut omnes ex illo vitæ ligno possent participare fructus vitæ æternæ, & ex hoc fonte haurire aquas salutis, hinc Hais: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Decebat autem, ut persona media in SS. Trinitate humanam assumeret naturam, & in ea fieret redemptionis & felicitatis nostræ DEum inter

inter & hominem, & inter cœlum & terram mediator, unde Aposto-
 Tim. 2. 5. lus: *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus;* per quod signi-
 ficare voluit, atque commendare auream mediocritatem, quæ nos
 Matth. 13. 20. DEO & hominibus gratos efficit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in no-
 mine meo, ibi sum in medio eorum.*

3. Olim in lege omnia sacrificia & holocausta Aaronica de puris
 animantibus DEO T. O. M. oblata præfigurabant Christum & hunc
 Quaresm. 10. crucifixum, quia, prout docet doctissimus Quaresmius, *in eo loco erat*
 2. 5. sect. 7. *Christus moriturus. Nam sacrificium mortis Christi fuit causa exemplaris, &*
quodam modo finalis precedentium sacrificiorum. Proinde non sine gravissima
 causa Christus pati voluit in Jerosolymis, quæ est in medio terræ ha-
 bitabilis, ut sic virtus passionis Dominicæ ab inde per universum dif-
 funderetur mundum.

Josias Rex in Jerusalem pientissimus extra ditionem suam in præ-
 2. Paral. 35. lio contra Nechao Ægyptiorum Regem in campo Maggedo à sagitta-
 23. riis vulneratus, in nullo alio loco mori, ac sepeliri voluit, quam in
 Jerusalem, unde dixit servis suis: *Educite me de pralio, quia oppido vulne-
 ratus sum. Qui transtulerunt eum de curru in alterum curru, qui sequebatur*
 Psal. 2. 6. *eum more regio. Et asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est, & sepul-
 tus in mausoleo patrum suorum.* Christus constitutus Rex super Sion mon-
 tem sanctum ejus, simili modo Jerosolymam moriturus ascendit, ubi
 tanquam in sua regia ultimum diem clausit, ac sepultus est, hoc est in
 medio terræ. Hic reverà virtus consistebat in medio.

4. Adam, ubi vixit annis 930. & vidisset totius humani generis
 Gen. 5. 5. propagationem & corruptionem, piè in Domino defunctus est, cu-
 jus ossa Noë in arcam suam religiosè suscepit, & finito diluvio inter
 suos liberos distribuit, Sem autem filio suo, quem pluris quàm alios
 æstimavit, calvariam Adæ consignavit & cum ea Judæam. Hinc ait
 Cornelius ac plures alii, communisque Patrum sententia est, quòd cra-
 nium Adæ in monte Calvariæ fuerit sepultum, ut ibi Christi crucifixi
 sanguine rigaretur, ablueretur, vivificaretur; unde S. Augustinus:
 S. August. *Verè fratres, inquit, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi*
 serm. 71. de *jacebat agrotus, & dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclina-*
 Tempore. *ret divina misericordia, & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem anti-*
qui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. Ex quibus
 colliges, Lector prudens, cur pretiosissimus Salvator noster Christus in
 medio terræ & in Calvario monte operatus sit nostram salutem.

5. Cæterum summa fidei nostræ mysteria plerumque in monti-
 Exod. 34. 2. bus fuerunt peracta. Moyse legem daturus Dominus, illum jussit ad
 montem Sinai ascendere. In monte Christus nasci voluit; in monte
 Naza-

Nazaretho educatus; in monte duodennis inventus; in monte duodecim elegit Apostolos; in monte octo beatitudines docuit; in monte transfiguratus; in monte SS. Eucharistiam instituit; in monte sanguinem sudavit; in monte crucifigi & mori voluit, & quidem extra urbem in orbis medietate, & in loco edito, omnibusque conspicuo, ut pro omnium salute se tam indigna pati indicaret, erat enim communis totius mundi hostia, unde pro omnibus in illo terræ medio immolari voluit: *Uti filios Dei*, ait S. Joannes, *qui erant dispersi, congregaret in unum*. Hinc & S. Leo: *Quia crux Christi, inquit, non templi futura erat, sed mundi, & nova legis sacrificium non in uno tantum templo offerendum erat, sed in universo orbe, ut juxta divinum Oraculum à solis ortu usque ad occasum magnum esset nomen Dei in Gentibus &c.*

6. De Eliseo Propheta recenset Scriptura, quod mortuus mortuum ad vitam suscitaverit, ex quo apparet mira Viri illius sanctitas & virtus: *Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno: quidam autem sepelientes hominem, viderunt Latrunculos, & sepelierunt cadaver in sepulchro Elisei; quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Cæterum quod homo vivens ac sanctus subinde mortuum ad vitam revocaverit, plura demonstrant exempla; Sed quod cadaver aliquod in cineres redactum, mortuos vivificaverit, rarissimum prodigium est. Sed mysterium accipe, & ex figurante nosce figuratum.

7. Cornelius & alii: *Eliseus, inquit, hac in re typus Christi fuit, cujus in cruce mortui gratia & meritorum contactu omnes resurgemus.* O anime mi! vide ex hoc, atque considera, quomodo verus Eliseus (Christus) in monte Golgothæo in medio putrefactorum cadaverum constitutus, & in medio terræ in cruce pendens, ac mortuus universo generi humano restituerit vitam, & multa Sanctorum corpora in cineres resoluta è sepulchris suis resurgere fecerit: *Multa enim corpora Sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt, & apparuerunt multis.* O Domine Jesu! ô amor crucifixe! suscita & me per virtutem S. Crucis tuæ ad meliorem vitam, & non intres in iudicium cum servo, sed fac secundum misericordiam tuam; mortuus enim es in cruce pro peccatoribus, ergo & pro me, proinde non amplius dimittam te: *Mihi autem adharere Deo bonum est: ponere in Domino Deo meo spem meam.*

7. Mori autem voluit mitissimus Redemptor in ligno crucis extra civitatem: *Ne putares*, ait S. Chryostomus, *pro illa tantum plebe, id est, Judaica, oblatum Christum, ideo foras civitatem, ideo foras muros, ut scias sacrificium esse commune.* Ex quo patet, quod mons Calvariæ factus sit commune theatrum & orbis Gymnasium, in quo Magister noster Christus

Ginther Unus pro omnibus.

Ff

de

Jo. II. 52.
S. Leo serm.
2. de Pass.

4. Reg. 13.
20.

Matth. 27. 52

Psal. 72. 28.

S. Chryost.
hom. de cruce
& latrone.

226 *Consideratio LIX. Cur Christus in medio terræ crucifixus?*

Threu. 4. 20.

Gen. 49. 9.

Pfal. 21. 17.

Apoc. 6. 2.

de cathedra crucis nos omnes docuit, & etiamnum docet, quantum malum sit peccatum, pro quo abolendo DEus ipse crucifigi, ac mori voluit: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et ideirco mons ille Calvarius à SS. Patribus appellatur *Mons prædam*, quia ibidem Dominus, prout canit S. Mater Ecclesia in hymno de S. Cruce, *Tulit prædam Tartari.* Hinc Jacob Patriarcha bene dicens filio suo Juda dixit: *Ad prædam filii mi ascendisti*, quod in Christo completum fuit, quem tanquam prædam circumdederunt canes multi, & consilium malignantium obfedit eum: *Ille autem exivit vincens, ut vinceret.*

8. Collige ex hoc, quòd Crucifixus DEus portentum fuerit, & etiamnum sit à sæculis inauditum. Quid enim mirabilius à sæculo, aut quid magis stupendum in cœlo, aut in terra, quàm DEus in medio terræ pendens in ligno pro homine indigno? Sol vidit, & obscuratus est, luna & sidera à tam cruento spectaculo suos retraxerunt radios; obstupuit orbis universus, dum ad Creatoris sui necem à fundamentis concussus est; & solus homo peccator, qui horum dolorum causa fuit, non obstupefcit, non doleat?

Vita.

Non sic S. Franciscus Seraphicus, sæpius dum crucifixum aspiceret, ubertim plorans. Et cum aliquando sui ploratus tam copiosi causam rogaretur, altè ingemuit, & dixit: *Se flere Christum Crucifixum, & mundum oblitum.* Agnovit hoc & S. Magdalena, per triginta annos in eremo ad crucem, quam illi S. Michael erexit, jugibus lacrymis passionem Domini sui deplorans. Finio cum S. Bernhardo: *Agnoſce*

S. Bernh. ser.
2. de Nativit.

ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.



CON.